

in ea quæsitum habuissent, Veneto nomini remisit: atque cum his Venetias, quo ab initio uxorem ac liberos miserat, tradita Venetis arce, abiit. Affuerunt non multo post quatuor aliæ triremes, ad quarum accessum territus barbarus, ne quum vellet, non esset sibi integrum in continentem abire, publica fide accepta, pacatam Venetis insulam reliquit. Eam Victor Superantius, qui in imperium maris Lauretano succedebat (ita sane forte evenerat, ut per eos dies illuc appulisset) opere ac præfidiis firmavit. Patres Corictano Principi annum mille aureorum numerum stipendium in perpetuum decernunt, in filiæ dotem quatuor millia. Sed homo tyrannicæ vitæ assuetus, æquitatis speciem in libera civitate aversatus, cum omnibus necessariis clandestine in Germaniam abiit. Nunc ad propositum bellum redeo.

1480

Perseverarant diu Ferrariæ Principes in Venetorum amicitia, ita sane ut Borsius, qui Herculem præcesserat, si qua interdum de finibus contentio suborta esset, paucissimis comitatus, quasi privatæ fortunæ homo, ad Principem & Patres venire consuevisset, ratus suum in Venetos studium nulla alia ratione tam facile probari posse, quam si subito ipse Principi & Patribus coram satisfecisset; & brevi nihil vir ille, ex quo Ferrariensium Princeps fuit declaratus, usque ad exitum vitæ, antiquius habuit, quam Venetum nomen colere, colendoque sub illius umbra pacis studia & ocium fovere. Hujus igitur meritum & spes, quam Patres ab initio conceperant, fore, ut nemo tam Borsio similis in Veneta amicitia colenda futurus esset, quam qui illi maxime conjunctus esset, fecerunt, ut eo vita defuncto, Veneti miro studio Herculem ejus fratrem, terra & aquis adjutum, in amplissimo principatu locarint, de quo magnum alioquin illi certamen instabat cum Nicolao Lionelli filio, cui Mantuanus Princeps avunculus, & Galeacius Vicecomes enixe favebant. Verum ita accidit, ut non longo interjecto tempore Hercules Leonoram Ferdinandi Regis filiam uxorem duxerit: qua ille affinitate auctus, remissiore animo cæpit Venetam celebrare amicitiam,

1481
Ferrariensium
belli
origo.